

test esse jus certum, et ideo non semper est similis ratio.

SECTIO VI.

Utrum ex facto dubio irregularitas juris contrahatur.

1. *Prima conclusio.* — Hoc dubium annexum est præcedenti, et in hac materia valde necessarium. In quo certum imprimis est aliquando induci irregularitatem, licet factum sit dubium, ita ut teneatur qui dubitat abstinere, donec dispensetur; habetur in dictis cap. Ad audientiam, et Significasti, 2, de Homicidio. Quæ nec de solo interiori foro, nec de solo exteriori, sed de utroque intelligenda sunt, tum propter rationem supra datam, quod ubi non proceditur ex præsumptione, unum forum ab alio non discrepat; tum etiam quia dict. cap. Ad audientiam, aperte loquitur de re, quæ ad externum forum deducta fuerat, ut patet ex illis verbis, *Ad audientiam nostri Apostolatus pervenit*; cap. autem Significasti, loquitur in foro conscientie, ut patet ex illis: *Cum de cæteris credendum sit ipsi, qui non accusatur, vel denunciatur ab aliquo, sed per seipsum consilium appetit salutare.* Tum denique, quia regula illa, in qua textus illi fundantur, scilicet, in dubiis tutiorem partem esse sequendam, in utroque foro verum habet; in interiori quidem propter obligationem vitandi periculum peccati, ut in eodem cap. Significasti, indicatur, et in cap. Juvenis, de Sponsalibus; in exteriori vero, quia et est eadem ratio, et jura idem disponunt, ut patet ex cap. Veniens, de Presbytero non baptizato; imo et cap. Juvenis, in eodem foro loqui videtur.

2. *An conclusio procedat in omni dubio facti.* — Ratio dubii pro parte affirmativa. — Difficultas vero superest, an hoc generaliter procedat in quolibet dubio facti, vel specialiter tantum in casu homicidii, in quo prædicta jura loquuntur. Si enim responsum et rationem Pontificis consideremus, videtur ibi regula generalis statui pro omni casu dubio quoad factum, quia Pontifex non respondet statuendo novum jus circa illud factum, sed declarando id, quod ex antiquo jure, et ex vera ratione observandum est, quod jus seu ratio non fundatur in speciali aliqua proprietate homicidii, aut irregularitatis quæ ex eo nascitur, sed in generali ratione dubii facti, et periculi, quod imminet, non sequendo partem tutiorem. Quæ in dubio

irregularitatis est abstinere a divinis ministeriis seu Ordinibus, quia in hoc nihil est periculi, in alio vero potest esse maximum; ergo illa resolutio in omni dubio facti æqualiter procedit.

3. *Ratio pro parte negante.* — In contrarium vero est, quia decisioni illorum textuum videtur generalis regula aliorum jurium repugnare, videlicet, in casu dubio etiam quoad factum neminem esse damnandum; nam regula Cum jura, supra citata, non tantum loquitur in dubio juris, sed etiam facti. Unde in l. 168, de Reg. juris, generaliter dicitur, *Favorabiliores rei, quam actores habentur.* Ubi Glossa inter alia exponit illud dictum esse, quia in dubio absolvitur reus. Et ad id nonnulla refert. Et ad idem facit cap. unic. Ut Ecclesiastica beneficia, etc., quatenus ait, *actore non probante, reum esse absolvendum, etiamsi nihil præstiterit*, id est, etiamsi positive non probaverit se esse a delicto immunem; ergo sola negatio probationis est sufficiens ratio absolutionis; sed quoties res manet dubia, manet etiam delictum non probatum; ergo etiamsi altera pars æque dubia, et sine probatione relinquatur, reus est absolvendus; ergo in nostro casu de dubio facti, judicandus est aliquis non irregularis ex vi juris communis. Patet consequentia, quia irregularitas hæc, de qua agimus, pœna quædam est, et ideo sequi debet communem regulam pœnalem; neque excipi debet nisi in casibus expressis. Accedit, quod illa jura maxime servanda videntur in pœnis, quæ ipso jure incurrendæ imponuntur; est enim hic modus imponendi pœnam valde rigorosus, ideoque leniendus est quantum fieri possit. Non ergo cogendus est reus in seipso exequi talem pœnam, donec certus sit de delicto. Nam, si judex non cogitur imponere pœnam, quæ per sententiam imponenda est, donec in suo foro certus sit de delicto, cur reus cogetur in conscientia exequi in se pœnam legis, donec in eodem foro conscientie sit certus de delicto? Quamdiu autem res est dubia, nondum est sufficienter probatum delictum in conscientia; ergo in præsentia non tenetur in conscientia abstinere ab executione, vel acceptione Ordinum, quia hoc esset exequi in se pœnam legis propter solum dubium delicti.

4. Unde nihil refert, quod hæc pœna irregularitatis includat prohibitionem per se obligantem in conscientia, quia de hoc ipso est controversia, an scilicet talis prohibitio

oriatur ex facto dubio. Nam cum talis prohibitio per modum pœnæ imponatur, sequi debet naturam pœnæ, quæ est, ut ex solo dubio delicto non oriatur. Atque hæc eadem ratione cessat in dubio facti principium illud de tutiori parte eligenda; nam illud solum cadit sub obligatione, quando in altera parte est aliquod periculum peccati; hic autem nullum est, nam ex verissimis principiis certo constare potest, nondum esse exortam prohibitionem, quæ in conscientia obliget ad abstinendum a talibus functionibus; illa autem ablata, cessat periculum peccati.

5. *Exemplis suadet eadem pars.* — Tandem confirmatur exemplis. Primum esse potest illud de voto supra tactum; nam dubium voti est dubium facti, a quo pendet jus, quia votum est opus ipsius hominis, quamvis late vocari soleat lex particularis, quam homo sibi imponit. Simile est de promissione facta alteri homini, nam si quis dubitet, an vere illam fecerit, non tenetur illam implere, nec bonis suis se spoliare. Aliud est de suspensione, v. gr., a beneficio, quæ cum incurritur, statim obligat in conscientia ad non usurpandos fructus beneficii; durissimum autem propter solum delictum dubium, quod in hominis conscientia non satis probatum est, statim obligare hominem in conscientia ad non accipiendos fructus proprii beneficii. Denique, si aliquis casus reservatur Summo Pontifici, vel alteri Prælato, v. gr., homicidium, et incidat quis in dubium homicidii, talis casus non est censendus reservatus, etiamsi nihil aliud in illa lege exprimat, quia cum talis lex odiosa sit, verba ejus sunt stricte sumenda; casus autem de homicidio dubio non est de homicidio simpliciter, et ideo non comprehenditur sub reservatione homicidii simpliciter dicti. Neque in eo casu tenetur quis tutiorem partem sequi, qualis videri posset accedere ad Prælatum, quia certissimum est habere jurisdictionem, quia satis certum est, confessionem inferiori factam esse validam, eo quod casus dubius ex vi illorum verborum reservatus non sit. Ergo idem est in omni casu simili, nisi aliud fuerit in alio jure expressum.

6. *Quorundam sententia.* — Propter has rationes dicunt aliqui, decisionem dicti cap. Ad audientiam, et Significasti, limitandam esse ad casum ibi propositum, et ad modum pœnæ ibi declaratum. Hoc posterius significavit Abbas, in d. c. Significasti, num. 4, dicens, in illo casu dubio præsumi aliquem

irregularem, solum quoad cessationem a sacro ministerio, non vero quoad alias pœnas, v. gr., privationis beneficiorum, et similes. Cujus sententia quoad hanc partem communis est, et ex omnibus adductis sufficienter convincitur, tum quia quoad hoc irregularitas est pure pœnalis; tum etiam quia dicta jura cum limitatione loquuntur de irregularitate quoad obligationem abstinendi ab Ordinibus, ideo non sunt extendenda, cum in hoc contineant rigorem. Hinc autem videtur confirmari prior pars; nam jus commune est, ut pœna non extendatur eodem modo ad delictum dubium; ergo, cum decisio illorum textuum discrepet ab hoc jure communi, limitanda est ad casum specialem illorum, scilicet voluisse Pontificem in odium homicidii, et propter specialem indecentiam, quam habet ad ministerium sacrum, statuere et declarare, irregularitatem latam propter homicidium, comprehendere etiam homicidium dubium, quamdiu dubium non expellitur. Nam quod Pontifex potuerit ita legem illam extendere, manifestum est; qua declaratione facta, quamvis factum sit dubium, jus tamen est certum, et ideo cessant jura omnia, quæ dicunt, in casu dubio non esse imponendam ordinariam pœnam; nam intelliguntur, nisi jus ipsum aliud declaraverit. Hujus autem declarationis in illa irregularitate potest specialis ratio assignari, quia fertur propter indecentiam; indecentia autem non solum ex casu certo, sed etiam ex casu dubio oritur, ideoque merito potuit jus certum statui, ut in illo irregularitas incurreretur.

7. *Difficultas circa præcedentem sententiam.* — Hæc sententia difficultatem patitur, quia Clemens III, in dicto cap. Ad audientiam, non videtur novum jus introducere, sed ex generali principio, obligationem, quæ jam existerat, declarare, ut patet ex illis verbis: *Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit injungere presbytero memorato, ut in sacris Ordinibus non ministret.* Et eodem modo loquitur Innocentius III, in c. Significasti, 2, ut patet ex illis verbis: *Cum in hoc casu cessare sit tutius, quam temere celebrare, pro eo quod in altero nullum, in reliquo vero magnum periculum timeatur.* Fundantur ergo hi Pontifices in sola ratione periculi, non in novo jure, quod pro tali casu statuunt. Alioqui non tantum immineret periculum, sed esset certa transgressio post statutum illud jus; ante illud vero nullum immineret periculum peccati, si secluso hoc

speciali jure, ex vi solius dubii non oriatur talis obligatio.

8. *Solvitur difficultas, et probatur posita sententia.* — Nihilominus censeo, prædicta jura non obligare nisi in casibus in illis expressis. Hoc significavit Navarrus, dicto c. Si qui autem, num. 41, dicens, tam in foro conscientiae, quam exteriori, in dubiis tutiorem partem esse eligendam ut præcepti in casibus a jure expressis, sentiens extra illos non semper esse præceptum, sed consilium, ut num. 34 dixerat. Et expresse Sylvester, verb. *Jejunium*, num. 27, in fine, dicens principium illud non esse necessarium sub mortali, sed sufficere eligere tutum. Idemque supponit Soto, in loco citato, et moderni frequentius. Suadetur autem, quia, cum materia sit rigorosa, et valde onerosa, non est extendenda sine evidenti necessitate et ratione. Alioqui ex illis juribus colligenda esset universalis regula, in omni dubio facti necessarium esse ex præcepto sequi partem tutiorem; quod incredibile est ita generatim sumptum. Ut autem textus illi, et res ipsa melius intelligantur, adverte primo hic non esse sermonem de conscientia dubia practice, nam de illa certissimum est, existente tali dubio eligendum esse id, in quo nullum timeatur peccatum; quod si sit perplexitas ex aliqua ignorantia, eligendum est illud, quod minus malum censetur, quod tunc practice est judicandum non malum seu non imputabile operanti, quia non potest illud vitare, de quo alias. Est ergo sermo de dubio speculativo, ex quo pendet dictamen conscientiae, ut est in casu illorum textuum, an Petrus, v. gr., fuerit mortuus ex vulnere inflicto a Paulo, necne. Ex quo infero, quando in illis textibus dicitur una pars securior, et in altera esse aliquid periculi, non esse sermonem de periculo culpæ, quia de hoc ipso versabatur questio, an ibi esset periculum culpæ, nemoque dubitavit, quin operari cum periculo culpæ sit malum; peteret ergo Pontifex principium, vel non rectam rationem afferret, si in illo sensu illo principio uteretur. Vocat ergo tutiorem partem illam, quæ pauciora habet incommoda, et minoris momenti, omnibus pensatis; periculum autem, quod imminere dicit, non est aliud, nisi quia accidere posset, ut verus homicida celebraret, aut ordinaretur, quod est contra decentiam ipsius rei, et Ecclesiae intentionem.

9. *Verus intellectus c. Ad audientiam, et c. Significasti, 2, de Homicidio.* — Ex quo

principio sic intellecto, et ex judicio prudentiali in tali materia, nimirum, tutius esse abstinere a ministerio sacro, colligit Pontifex legem, quæ statuit, ut in tali casu ita fiat. Ut autem hoc statuatur, necesse non est, ut illud principium, in quo fundatur, *in dubiis tutiorem partem esse eligendam*, sumatur in universum ut necessarium ad vitandam culpam seu tanquam præceptum; satis enim fuerit, quod Pontifex id existimaverit esse convenientius et magis consentaneum prudentiae, et juxta illud legem statuerit. Et ob eandem causam necessarium non est, ut id, quod ibi Pontifex statuit ac præcipit, per se esset necessarium ex vi solius rationis naturalis; nam sæpe lex positiva statuit aliquid ex prudentiali ratione, quæ per se sola non induceret necessitatem, est autem sufficiens ad statuendam legem, quæ necessitatem imponat. Sic ergo Pontifex judicavit in hac materia expedire ferri legem de sequenda tutiori parte, quia in hoc, quod dubius de tali facto abstinere, solum illud potest esse incommodum, quod hoc est onerosum tali personæ, et quod aliquando potest contingere, ut ille, qui revera homicida non est, abstinere cogatur; at hoc quasi nihil existimatum sit a Pontifice comparatum cum reverentia debita rebus sacris, et cum periculo, quod aliquando homicida ministret. Hæc autem ratiocinatio per se sola fortasse non esset sufficiens ad obligandum hominem dubium, ut in eo casu abstinere; fuit autem sufficiens, ut Pontifex lege sua id decerneret. Maxime, cum ipse potuerit judicare, esse sufficientem causam ad imponendum hoc onus in tali casu, quod homo sua culpa vel negligentia actionem fecerit simili dubio expositam. Item cum ad Summum Pontificem pertineat cavere omnem indecentiam circa ministeria sacra. Atque hanc existimo esse veram intelligentiam illorum jurium.

10. *Decreta citata præcipue procedere in foro exteriori.* — Unde ulterius colligo, decisiones illorum textuum primo et maxime habere locum in foro exteriori. Quod notavit Navarr., d. c. Si quis autem, num. 38, motus ea ratione, quod jus humanum magis obligare solet in exteriori foro, quam in interiori. Unde etiam Gerson, quem ibi refert, in 2 p., dixit, frequentius aliquem judicari irregularem in exteriori foro quam in interiori. Melius vero id colligimus ex ipsismet textibus. Nam in c. Ad audientiam, verba Pontificis non diriguntur ad ipsummet irregularem, sed ad judicem seu Prælatum, cui

dicitur: *Vos convenit injungere presbytero memorato, ut in sacris Ordinibus non ministret.* Unde satis apparenter dici posset, ex vi illorum verborum non haberi, in eo casu teneri eum, qui dubitat, abstinere, donec ei a superiori injungatur, quia verba illius textus requirunt hominis sententiam seu præceptum. Item quia alias teneretur ab omnibus Ordinibus abstinere, quia irregularitas homicidii ab omnibus separat; et tamen ibi dicitur non esse a minoribus Ordinibus separandum. Cap. autem Significasti, potest eodem modo exponi; nam licet ibi dicatur, non præcessisse accusationem, vel denunciationem, sed solam petitionem consilii salutaris ab ipsomet reo factam, nihilominus responsio Pontificis videtur etiam referri ad externum forum, in quo ille dicitur habendus ut homicida. Atque ita etiam fatetur Navarr., supra, num. 36; in n. autem 37, refert Felin. in d. c. Ad audientiam, dicentem, jura illa procedere in foro exteriori, non omnino contentioso, quod incipit ab accusatione, vel denunciatione, sed mixto quodammodo ex interiori, quatenus aliquis seipsum accusat, petens tamen judicium et expeditionem in foro exteriori. Quod quidem facile admitti potest, dummodo non negetur, ut bene advertit Navarr., idem judicium ferendum esse in foro contentioso, si talis causa agitetur, et eodem modo constet de tali dubio, quia et est eadem ratio, et decisio juris est absoluta et sine distinctione. Imo, cæteris paribus, rigorosius agendum esset cum reo, si judicium esset omnino contentiosum, quia, quo ejus accusatio vel denunciatio minus voluntaria illi est, eo minor fides confessioni ejus adhibenda est, quatenus ad ipsius excusationem spectat, et a contrario sensu ex eodem c. Significasti, colligitur; eademque ratione minori dispensatione et indulgentia dignus esset. Non videtur ergo dubium, quin jura illa præcipue loquantur in foro exteriori, sive misto sive puro. Neque opinor Panormitanum id negasse; cum enim ait, decisiones illorum textuum non esse extendendas ad forum externum, loquitur quoad illas pœnas, quæ per judicem imponi solent pro irregularitate contracta, qualis est privatio beneficiorum, et similes; quoad privationem vero, quam intrinsece habet irregularitas, ut est ab usu Ordinum, aperte concedit habere locum in foro externo, quod ibi vocat quasi pœnitentiale, quia in eo non agitur de nova pœna imponenda, sed de securiori parte eligenda.

Et videtur coincidere cum illo, quod Felin. mistum appellavit.

11. *Dicta jura an etiam procedant in interiori foro et in conscientia.* — Non vero negandum est, decreta illa consequenter etiam procedere in foro interiori, maxime post declarationem, seu injunctionem judicis. Non nihil vero dubitationis habet, an qui dubitat, teneatur in conscientia abstinere prius quam a judice separetur, præsertim si homicidium sit occultum. Nam in illis textibus non sunt aliqua verba, quæ ad hoc cogant; ergo ex vi illorum non est imposita hæc obligatio; sed seclusis illis juribus, ex sola ratione, aut ex aliis juribus non constat: ergo. Et confirmatur a simili ex casu textus in c. Significasti, 1, de Homic. Ubi idem Innocent. III sic concludit: *Ideoque mandamus, quatenus si ita est, ad cautelam injungas eidem pœnitentiam competentem, qua peracta, non impedias quominus in susceptis ministret Ordinibus, et ad majores valeat promoveri.* Unde satis aperte colligitur, ante peractam pœnitentiam impositam illum non potuisse licite vel ministrare in susceptis Ordinibus, vel ad superiores ascendere post mandatum illud, quod fuit quoddam genus suspensionis; et tamen in casu illius textus, qui fuit de homicidio quodam omnino casuali et involuntario, et sine interventu alicujus delicti, si res non esset devoluta ad superiorem, non teneretur ille clericus ex vi suæ conscientiae, vel pœnitentiam aliquam agere, vel aliquo tempore cessare ab usu Ordinum, cum tamen ad id obligetur post injunctionem superioris. Ubi etiam obiter notare licet in hujusmodi consultationibus aliqua Pontifices præcipere ad majorem cautelam, et ad majorem decentiam et reverentiam sacrorum Ordinum, quæ per sese, et ex vi solius conscientiae non essent necessaria, licet posito præcepto superioris in conscientia oriatur obligatio. Cur ergo non possumus eodem modo intelligere c. Significasti, et c. Ad audientiam, præsertim cum interpretatio sit favorabilis, et materia onerosa. Unde Marianus Socin., in d. c. Ad audientiam, n. 46, quem refert et approbat Covarr., in d. Clement., p. 2, § 2, n. 5, solum dixit, in dubio quoad forum conscientiae consulendum esse, ut quis se abstinere a divinis, et se existimet irregularem esse. Quod potest intelligi, esse consulendum, ut melius, et securius, non autem tanquam necessarium ante judicis sententiam, seu præceptum. Non est profecto facile interpretationem hanc valide impugnare.

12. *Vera sententia.* — Nihilominus in re morali et gravi non est deserenda communis sententia, quæ habet, in casu illorum textuum teneri unumquemque in conscientia ad abstinendum ab usu Ordinum, et ita etiam esse in conscientia consulendum, etiamsi res nullo modo devoluta sit ad forum externum; in hoc enim conveniunt Canonistæ, et Navarr. excusat Innocentium, qui solet in contrarium citari, quod non fuerit in tali sensu locutus. Ratio vero reddi potest, quia Pontifices declarant, in illo casu servandam esse irregularitatem; ergo intendunt docere obligationem illam oriri eo modo, quo irregularitas nasci solet, scilicet, ex facto ipso, supposito jure, absque alia iudicis sententia. Juvat etiam in dict. cap. Ad audientiam, verbum illud, *Poteris concedere, ut minoribus Ordinibus sit contentus*; indicat enim necessitatem dispensationis, sine qua ille non posset in minoribus Ordinibus ministrare. Juvat etiam in d. cap. Significasti, 2, verbum illud, *A sacerdotali officio abstinere debet*; non enim solum dicitur, quod debet separari, aut non admitti, sed quod ipse debet abstinere; et verbum debet, licet aliquam ambiguitatem habeat, tamen regulariter indicat gravem obligationem in conscientia.

13. *Corollarium.* — Ex his denique omnibus infero, decisiones illas non esse extendendas ad omnes casus dubios, obligando homines, ut in eis semper teneantur in conscientia ad judicandum (ut sic dicam) contra seipsos, suscipiendo quodcumque onus, eo quod speculative sit tutius, quia non semper habent locum rationes omnes, quæ ibi moverunt Pontifices. Præcipue vero mihi est certum non extendi ad dubium juris, quia solum agunt de dubio facti; neque est admit-tenda extensio, cum sit longe dissimilis ratio, quia ubi jus non est certum, non fit illi injuria, neque est morale periculum ejus, quale esse potest, cum jus est certum, et factum solum est dubium. An vero illa decisio extendenda sit ad omnes irregularitates, quæ timeri possunt ex dubio facti, respondeo ex vi, et rigore juris solum nos cogi ad id asserendum in irregularitate, quæ ex homicidio contrahitur. Deinde probabile est, quod Covarr. dixit dict. Clement., 4 part., in princ., num. 3, quoties ea contigerint, quæ in dictis decretalibus traduntur, servandas esse earum decisiones, etiamsi delictum, seu actus non sit omnino ejusdem rationis; quamvis enim hoc posterius Covarr. non exprimat, in hoc ta-

men sensu loqui videtur, estque probabile, quia hoc modo formaliter intelliguntur decisiones illæ, et non tantam materialiter. Quando vero concurrant omnia, quæ in illis decretis considerantur, prudenter conjectandum est ex materia et circumstantiis actus; et in sequentibus tractando de singulis irregularitatibus plurima in particulari dicemus.

SECTIO VII.

Qui possint irregularitatem contrahere.

1. *Prima regula.* — Post efficientem causam dicendum sequitur de materiali seu subjectiva, circa quam duæ regulæ generales possunt constitui. Prima est, nullum esse capacem irregularitatis, qui per se, et juxta Christi institutionem non sit capax sacramenti Ordinis. Hanc regulam posuit Soto, in 4, dist. 25, quæst. 1, art. 2, eamque tetigit supra, sect. 1, circa definitionem irregularitatis; sequitur enim ex dictis ibi, primo, quia irregularitas est privatio quædam; omnis autem privatio supponit capacitatem; habitus enim et privatio versantur circa idem. Denique incapax ad recipiendos Ordines ex divino jure statuta est, et impedit non solum licitam, sed etiam validam susceptionem Ordinis; at vero irregularitas nec est ex jure divino, neque impedit, quin Ordo susceptus sit validus, etiamsi cum peccato suscipiatur: ergo.

2. *Fœminam nec esse, nec posse irregularem fieri.* — *Corollarium primum.* — *Quorundam responsio.* — *Impugnatur.* — *Evasio.* — *Diluitur.* — Sequitur primo, fœminam neque esse irregularem ratione sexus, neque etiam esse capacem alterius supervenientis irregularitatis. Fundamentum est, quia fœmina ex divino jure est incapax sacramenti Ordinis, et characteris ejus, ut nunc suppono ex perpetua Ecclesiæ traditione fundata in facto Christi, qui non fœminas, sed viros tantum sacerdotes ordinavit in nocte Cœnæ, eisque solis potestatem remittendi peccata tribuit post resurrectionem, ut ex doctrina Concil. Trident. sæpe in superioribus docuimus, et sumitur ex cap. Nova, de Pœnitent. et remis., ubi Pontifex ait Christum etiam matri suæ claves non dedisse, sed solis Apostolis. Estque hæc certa veritas communi consensu Theologorum recepta in 4, d. 25, ubi videri possunt D. Thom., Soto, et alii; et Castro, contra hæreses, verb. *Mulier*; et Bellarm.,

lib. 4 de Sacrament. in genere, cap. 4 et 25. Hinc ergo fit, ipsam conditionem talis sexus non esse irregularitatem, quia affert absolutam incapacitatem; fit etiam, ut homicidium, bigamia, et similes effectus inventi in fœminis non afferant illis impedimentum irregularitatis, ut Soto supra notavit, et sentit Hostiens., in c. de Cleric. excom. minist., num. 4, dicens, monialem non posse irregularitatem incurrere, ex cap. Postulastis, § Quæ-sivistis, eod. tit. Et ratio est, quia illæ per se, et quasi natura sua non comprehenduntur in regula ordinandorum; et ideo per leges Ecclesiasticas ab ea non excluduntur. Dicunt vero aliqui, fœminas saltem secundum speciem humanam esse capaces Ordinis, et hoc satis esse, ut sint capaces irregularitatis, quia privatio aliquando respicit subjectum ratione generis, vel speciei, licet sit incapax secundum conditionem individui. Sed hoc ad rem moralem impertinens est, quia hæc privationes considerandæ sunt in ordine ad jura; jura autem, quæ irregularitates imponunt, non loquuntur de specie humana in communi, sed ad individua referuntur, separantque ab Ordinibus eos, qui sunt capaces, scilicet viros, et non fœminas. Dices: aliquando etiam separant fœminas, ut in Concil. Remensi, cap. 2, ut citat Gratian. in cap. Pervenit, de Consec., dist. 2. Respondetur primum aliquando Ecclesiam ferre præceptum de re jure divino statuta, ut major diligentia in ejus observatione adhibeatur. Secundo dicitur, nullum inveniri Ecclesiæ decretum, quo separatur fœmina a recipiendis Ordinibus, aut proprio usu eorum; sed in eo capite specialiter prohibetur, ne fœminis, aut laicis committatur actus, qui per solos presbyteros, aut in necessitate per diaconos recte præstari potest, ut deferre Eucharistiam ad infirmos; de quo ibi sermo est; sicut alia etiam sacraministeria prohibentur fœminis in cap. Sacrata, dist. 23, de quo videri possunt dicta supra in 3 tom. Atque hæc applicanda sunt ad hermaphroditos, seu androgynos, qui ad fœmineum sexum magis declinant, supposita communi sententia, quod hi etiam sunt Ordinis incapaces; de quibus, quatenus aliquando possunt esse irregulares, infra erit dicendum; ubi etiam dicitur de fœmina, si contingat aliquando sexum mutare, ut evenire dicitur.

3. *Non baptizatus est incapax irregularitatis.* — Secundo principaliter inferitur, nullum hominem non baptizatum esse capacem

irregularitatis. Probatur ex eodem fundamento, quia non sunt capaces Ordinis, c. 1, et cap. Veniens, de Presbytero non baptizato; quanquam Navarr., num. 205, et Covarr., dict. Clement., 4 part. § 2, impedimentum hoc inter irregularitates numerent; loquuntur tamen late, et minus proprie. Objici tamen potest, quia ante baptismum potest quis esse bigamus, illegitimus et homicida, unde communiter quæri solet, an hæc irregularitates per baptismum tollantur, quæ quæstio supponit eas contrahi ante baptismum. Respondeo, controversiam esse de modo loquendi; retinendum vero esse illum, quem diximus, tanquam omnino proprium; ipsa enim carentia characteris baptismalis non potest dici irregularitas, cum sit omnimoda incapax. Unde non baptizatus nunquam fuit comprehensus in regula ordinandorum, seu, ut ita dicam, ordinabilium, ut per irregularitatem ab ea regula excludi potuerit; neque quoad hoc oportet distinguere de infideli, vel fidei aut catechumeno quantumvis justo, quia semper est plusquam irregularis, id est, omnino incapax Ordinis, donec baptizetur. Deinde certum est, aliquos defectus naturales, vel morales inveniri in hominibus non baptizatis, qui baptizatos solent reddere irregulares, ut in exemplis positus manifestum est; dico tamen tales defectus in homine non baptizato, quamdiu in eo statu durat, non inducere propriam irregularitatem, tum quia non est subjectum capax; tum etiam quia illi defectus non habent vim ex se ad inducendam irregularitatem, nisi juventur lege Ecclesiastica; non juvantur autem hæc lege circa non baptizatum, quia Ecclesia non habet jurisdictionem in non baptizatos, ut eos suis legibus comprehendat, ut disp. 5 hujus lib., sect. 1, tetigit. Postquam vero hi baptizantur, in eodem puncto, in quo incipiunt esse subditi Ecclesiæ, jam sunt capaces irregularitatis, et ideo de illis quæri potest, an non obstante baptismo de novo recepto, ex tunc sint irregulares; quod non tam est quærere an baptismus tollat irregularitatem, quam an impediatur, ne contrahatur; vel potius, an actio, vel indecentia ante baptismum contracta, ita maneat post baptismum, ut hominem irregularem efficiat; quod infra suo loco disputabimus.

4. *Corollarium tertium.* — Tertio inferitur ex dicta regula, quid dicendum sit de homine quocumque titulo corporis, vel animæ perpetuo impedito a susceptione Ordinum,